

IN PIAM MEMORIAM
R.MI PATRIS GENERALIS LEONARDI BUIJS CSSR.

Casus certo magis unicus quam rarus! Ille ipse R.mus Pater, qui decretum de condendis edendisque publicationibus nostris historicis tulerat, antequam primum fasciculum typis impressum videret, inopinata morte e vivis sublatus est. Legit, approbavit, laudavit manuscripta sibi oblata articulorum principalium; die qui iter suum — eheu — ultimum praecessit, cum primo redactore de felici initio congratulatus est, sed mox, cruda morte Patris R.mi res inceptae finem habuerunt.

Autumnali tandem tempore, difficultatibus quibusdam ex mutatis conditionibus obortis feliciter superatis, instante et favente imprimis Pl. RP. e Vicario generali Leone Quittelier, opus inceptum ad desideratum finem perducere nobis datum est. Primus itaque fasciculus dedicatus sit gratae memoriae Patris et Fundatoris publicationum nostrarum historicarum.

DE VITA P.IIS BUIJS ANTE GENERALATUM (1896-1947)

LEONARDUS A VEGHEL BUIJS (1) natus est die Immaculatae Conceptionis BMV (8 dec.) an. 1896 in vico *Sommelsdijk* qui ad parochiam et commune *Middelharnis* pertinet, sito in insula *Goeree en Overflakkee*, provinciae Hollandiae meridionalis et dioecesis Harlemensis (Haarlem), regni Neerlandiae (Nederland, communiter Holland).

Sanctus Leonardus a Veghel, parochus, unus est ex undeviginti martyribus Gorcomiensibus (Gorkum), qui die 9 iulii an. 1572 in oppido *Briel* ab haereticis Calvinianis, diras vexationes in odium fidei perpessi tandemque in trabe suspensi, pro Christo mortem obierunt. Eorum nomina Clemens PP. X an. 1675 Beatorum, et an. 1867 Pius IX Sanctorum catalogo inseruit.

P. Buijs, vix Generalis electus Congregationis nostra missionariae, patronum suum, extra fines Neerlandiae vix notum, commutavit cum sancto Leonardo a Portu Mauricio OFM Obs., celebri missionario (n. 20 dec. an. 1676, m. Romae 26 nov. an. 1751; inter Beatos adlectus a Pio PP. VI an. 1796, inter Sanctos a Pio PP. IX an. 1867, in eadem solemnissima canonizatione, in qua, cum aliis non paucis, etiam Gorcomenses martyres summam gloriam adepti sunt). A Pio vero PP. XI die 17 martii an. 1923

caelestis omnium sacerdotum patronus constitutus est, qui praedicationi missionariae ad populum christianum incumbunt. Nec omisit pius noster Superior generalis, sanctum hunc patronum, die festivo occurrente, devote visitare in aedibus s. Bonaventurae, quae in summitate collis Palatini sitae sunt, in qua sacrae eiusdem missionarii exuviae requiescunt (2).

Genitores P. is Buijs ferventes catholici erant, qui tamquam agricultores et equorum nutritores proprium gestabant praedium. Mater, Gulielmina Catharina Buijs-Adriaense, maritum morte praeivit, obiit enim die 19 sept. 1928 (nata 12 sept. 1854); pater, Quirinus (natus 27 maii 1854), die 5 aug. 1940 supremum diem obiit. Leonardus noster post quinque filios et tres filias ultimo natus erat. Unus fratum, Joannes nomine, an. 1913 sacerdotali dignitate auctus, nunc parochus est in *Wassenaar*, proxime 's *Gravenhage*, ubi gubernium Regni Neerlandiae sedem habet; duae ex sororibus virginitatem Deo dicaverunt in Instituto a Domina Nostra, quarum una mortalitatis debitum iam persolvit, altera vero, nomine Gulielmina, directionem scholae parochialis habet in *Amsterdam*.

Leonardus, optimae intelligentiae puer, studia humaniora quae dicuntur, in domo educationis nostra, tunc temporis apud sanctuarium B. Mariae Virginis, vulgo 't *Zand* (= « in harena »), prope *Roermond*, optimo cum successu absolvit. Directionem domus habebat RP. I. Kronenburg, in patria sua apprime notus ut historiographus devotionis marianae in Neerlandia et sanctorum neerlandicorum, in provincia religiosa sua ut moderator iuventutis et conscientiae, cuius paternam simul ac fortē directionem R. mus Pater grati animo in *Curriculo Vitae* meminit.

In iuvenatum eum conduxerat an. 1909 amor vocationis sacerdotalis et missionariae, quam conceperat sexto aetatis suae anno, dum Patres nostri in parochia *Middelharnis* missionem praedicabant. Speciali modo captus fuit sermone mariano missionariorum, ita ut inde se « patrem, qui de Maria praedicat, fieri velle » dicere solitus erat. Ipse R. mus Pater vocationem ad dilectam suam Congregationem in tenera infantia simplici et claro suo scribendi genere narravit:

« Als ik naga, sinds wanneer zich mijn roeping tot de congregatie heeft geopenbaard, dan zal ik dunkt me, tot mijn eerste jaren moeten teruggaan; indien tenminste een vaag verlangen, gelijk men dat als kind heeft, voor een begin daarvan kan gelden. Ik heb n. l., zoover ik mij bewust ben — ik denk ongeveer van mijn 6e jaar af — steeds enige herinneringen gehad aan een missie, door twee paters Redemptoristen in onze parochie gepredikt: — de kleeding der paters en enige gegevens omtrent de O. L. Vr. preek en die bij de kruisplanting, hebben mij altijd voorgestaan. Aan die herinneringen meen ik steeds het verlangen gepraard te hebben "ook zoo'n pater te worden". Ook verhaalde mijn oudste zuster mij nog, dat ik in die jaren op de vraag wat ik worden wilde haar ten antwoord gaf "een pater die preekt van de Moeder Gods", wat dan op niets anders dan het bovenaangestipte schijnt te kunnen slaan, omdat ik zeker tot mijn 8e jaar nooit anders met Paters kennis heb gemaakt » (3).

Anno 1915, ingravescente prima grande conflagratione mundiali, in qua Neerlandiae regnum neutralitatem observare potuit, domum novitiatus Buscoduci (s'Hertogenbosch) ingressus est die 6 sept., ubi vestem Congregationis die Michaeli archangelo sacro (29 sept.) induit.

Anno novitiatus rite et optimis cum testimoniis absoluto, eodem festivo die recurrente an. 1916, vota perpetua professus est. Mox studiorum domum Wittemii (Wittem, prov. Limburg), in meridionalibus Neerlandiae regionibus sitam, petiit, et ibidem totum studiorum philosophicorum et theologicorum cursum sedulo secutus est. Inter professores, quorum frequentabat lectiones, eminent RR. PP. Bernardus Lijdsman, qui Ius canonicum docebat et postmodum Em.i Cardinalis van Rossum secretarius personalis fuit (4); Cornelius Damen, qui Theologiam moralem et asceticam tradebat et deinde, id est ab an. 1921, Romae claruit (5); denique Gulielmus Duijnste, qui P.em Damen secutus est, et ab anno 1928 in Universitate Noviomagensi (Nijmegen) docet. Praefectus studentium ab an. 1918 usque ad an. 1921 erat P. Damen, deinde ab an. 1921 P. Duijnste (6). Rector Collegii Wittemensis his annis fuit alter clarus theologiae moralis doctor, Ludovicus Wouters (7). Efformatio itaque defuncti nostri P.is Generalis, in rebus quae ad theologiam moralem, asceticam et ad cognitionem iuris canonici attinet, certe optima fuit.

Anno tandem 1922, die 11 ian., sacerdotio auctus, et, aestivo tempore, solitis periculis feliciter superatis, probationem eminentem adeptus est.

Propter ingenii vim morumque maturitatem iuvenis sacerdos ad studia altiora destinatus fuit. Itaque autumnalibus eiusdem anni 1922 mensibus Romam profectus est, ut, nostri Collegii Maioris convictor, Pontificium Athenaeum vulgo « Angelicum », a PP.bus Praedicatoribus directum, frequentaret, operam navans profundioribus philosophiae et theologiae studiis. Nec eventus spem fecellit.

Die 13 iun. an. 1923, examine Baccalaureatus et Licentiae in philosophia unanimi votorum consensu peracto, die 1^o iul. rite promotus fuit. Examinatores habuit claros professores PP. Rohner, Barbado, Browne et Rooy. Anno sequenti die 21 nov. alterum subiit examen nempe Doctoratus in philosophia; iterum omnibus votis feliciter adeptis, die 26 nov. promotus fuit; examinatores fuerunt PP. Zacchi, Rohner, Barbado, Rooy et Calà.

Sic ad facultatem theologicam transgressus, die 14 nov. an. 1924 examen Baccalaureatus et Licentiae in s. Theologia superavit, quasi omnium votis arreptis; examinatores habuit PP. Szabò, Bacic, Garrigou-Lagrange et Vostè; tandem die 27 iun. an. 1925, examine pro Doctoratu expleto, quasi unanimi suffragio lauream in s. Theologia adeptus est. Examinatores intervinerunt PP. Hugon, Bacic, Zacchi, Schultes, Vostè. Solemnis promotio locum habuit die 28 iun. eiusdem anni. Inter professores, ut ex no-

minibus allatis videtur, viri clarissimi fuerunt, quorum P. Buijs non indignus exstitit discipulus. Ut tunc moris erat, pro consecutione duplicitis laureas, thesim in duas partes divisam exaravit. Prima pars, pro laurea in philosophia consequenda, hunc titulum habuit: *De objecto formalis proprio intellectus humani* (4°, 123 pp.), altera, pro laurea in theologia obtinenda, inscripta erat: *De potentia obedientiali creaturae rationalis ad vitam supernaturalem clarae Dei visionis* (4°, 45 pp.) (8).

Studiis superioribus optimo successu superatis, recens doctor nondum in patriam dimissus est. Etenim Collegii Maioris Director, RP. Cornelius Damen, qui Patrem Buijs ab annis Wittemii peractis aestimare didicerat, eundem adhibere voluit tamquam socium in paranda nova editione operis moralis celebris P. is Aertnijs cui tunc incumbebat. Haec editio lucem vedit anno 1928, nec gratus auctor omisit in praefatione sua, die 17 iun. dicti anni scripta, gratum animum pandere versus « validissimum et solertissimum laborum socium » qui fuit Leonardus noster (9). Sic tandem P. Buijs civitatem aeternam reliquit, mensibus aestivis anni 1928, ignarus se post undeviginti annos reversurum esse, totius Congregationis supremus moderator eligendus.

Wittemii honorem onusque suscepit, iuvenes nostros clericos et Patres studentes in sacris litteris edocendi, munus maximi sane momenti, in quo explendo, optime praeparatus ut erat, optimos quoque fructus decursu 19 annorum ad frugem pervenire videre potuit, id quod provincia neerlandica faciliter testificare potest. A mense sept. an. 1928 usque ad eundem mensem an. 1931 docuit scientiam « sociologiae » quam vocant; per aliquot menses an. 1929 etiam theologiam moralē, quam deinde a mense aprilī 1930 usque ad iul. 1946 constanter tenuit. Item a mense ian. 1930 usque ad iul. 1946 professor erat theologiae pastoralis, ita ut per multos annos efformatio theorica et practica in disciplinis theologicis, pro missionalibus maximi momenti, in suis manibus collocata fuit. Tandem a mense sept. an. 1936 usque ad iul. an. 1946 etiam theologiam spiritualem seu asceticam tradidit.

Patres nostri Wittemienses, inde ab anno 1901, magnam partem habent in edendis foliis periodicis *Nederlandsche Katholieke Stemmen* (10), imo, unus eorum simul cum professore seminarii maioris Ultraiectensis (Utrecht) opus redactionis exercet. Noster Buijs, inde ab an. 1930 studia de rebus theologiae moralis et pastoralis in dictis periodicis evulgare coepit, praesertim ut melius in lucem poneret quaestiones de matrimonio hodiernis temporibus magis urgentes, imprimis quaestionem de « continentia periodica » ut vocatur.

Mox autem attentionem suam versus « Actionem Catholicam », quam Summus Pontifex Pius PP. XI f. rec. maxime promovere studuit, protendit, quaestionesque ad hanc rem attinentes tractandas suscepit. Ita factum est, ut Pater Buijs inter consiliarios episcoporum neerlandensium pro Actione

Catholica adscitus sit. Cum tandem, an. 1936 ad finem vertente, noster P. J. L. Janssen propter gravem aetatem operi redactionis periodici supra nominati renuntiasset, P. Buijs eidem suffectus est et ineunte an. 1937 novum munus exercere coepit. In primo eiusdem anni numero socii redactionis novum, ut aiunt « programma » annuntiabant, in quo eximiam partem habere debebat studium et promotio Actionis Catholicae; nemo non videt pondus personae novae redactoris, qui etiam, inde ab eodem primo numero an. 1937 saepius de rebus Catholicam Actionem spectantibus scripsit (11). Auctoritas nostri Doctoris in argumentis non solum ad theologiae moralem spectantibus, sed magis ad Actionem Catholicam pertinentibus, annis sequentibus in tota Neerlandia aucta est et ab omnibus, quorum intererat, agnita (12). Haec breviter dicta satis innuunt, quam pleni fuissent dies laboris P. is Buijs omnibus his annis maxime vero tempore immanis belli quod hac vice etiam patriam dilectam fratris nostri gravissime perculsit.

In nominationibus superiorum an. 1946 occurrentibus, provincia neerlandica novum Superiorum provinciale accepit, Pl. RP. em Carolum Donker, cui tamquam Consultor secretarius RP. Buijs datus fuit (9 apr. 1946). Ita factum est, ut succendentibus mensibus P. Buijs e domo Wittemensi ad domum provinciale Amstelodami (Amsterdam) emigraret, munere professoris demisso.

Mense vix elapso a novis nominationibus, R. mus P. Generalis Patricius Murray per litteras circulares (n. 139), die 8 maii datas, Capitulum generale indixit, Romae die 26 aprilis an. 1947 aperiendum, annuntians insuper se ipsum in prima sessione muneri renuntiaturum esse, ita ut alias Superior generalis eligendus esset (13). In Capitulo provinciali neerlandensi tamquam « Vocalis » seu Pater « Capitularis » electus venit P. Leonardus Buijs, qui circa medium mensem aprilem an. 1947 Romam iterum ingressus est.

Prima Capituli generalis sessio habita est die traditionali, 26 apr. 1947. In ea, mox R. mus P. Generalis Patricius Murray, uti iam annuntiaverat, muneri suo renuntiavit. In tertia tandem sessione, die 30 apr. celebrata, hora circiter quinta post meridiem, magnus applausus quam nos alii ex longinquo adstantes ex aula Capitulari audivimus, indicavit electionem novi Rectoris Maioris factam esse; et revera, mox portae apertae sunt, et exiit, a dextris R. mi Patris Generalis emeriti, R. mus P. Leonardus Buijs, novus Superior generalis nostrae Congregationis. Ex 69 votis 51 in suum nomen convenerant (14).

DE GENERALATU R. MI P. IS BUIJS (1947-1953)

Non est nostra intentio, nec esse potest, praesentare nunc descriptionem quasi chronicalem vitae et actorum P. Buijs tempore sua generalatus. Intendimus vero paucis lineis generalibus componere imaginem suaee actu-

sitatis in variis campis magis obviis, ut sunt litterae circulares, itinera, congressus, statistica ut vocatur Congregationis tempore suae regiminis, ut postea magis immoremur in aliquibus particularibus actionibus, quae proxime ad studia graviora, imprimis historica, promovenda dirigebantur. His factis et dictis, facilius erit, concludere cum quadam generali aestimatione sui regiminis.

DE LITTERIS CIRCULARIBUS ET DE COMMUNICANDIS R.MI P.IS BUIJS — Usus communis ecclesiasticus fert, ut superiores, Summus Pontifex ad totam Ecclesiam, episcopi ad fideles, superiores familiarum religiosarum ad subditos, interdum, prout occasiones id requirant vel suadeant, epistulas circulares, quas vocant, dirigant quibus, ut de ceteris taceamus, vinculum mutuae caritatis arctius semper et firmius stringatur.

Defunctus noster P. Generalis quoque usui communi sese conformavit, sed, uti ipse pluries attestatur, propter nimiam occupationem in regenda et dirigenda Congregatione, distractus etiam itineribus pluries susceptis, ac valetudine saepius infirmitatibus tentata, pauca tantum vel brevia scripsit.

Damus hic brevem conspectum litterarum circularium et communicandarum a R.mo P.e Generali defuncto omnibus Congregatis, vel Superioribus maioribus missarum.

A. *LITTERAE CIRCULARES* — 1. « *Quod iam per telegraphum* », 4 maii 1947. - Annuntiavit electionem propriam, gratias exhibens, nomine quoque totius Congregationis, R.mo P.i Generali emerito Patricio Murray (15).

2. « *Die 24 Maii* », 2 iul. 1947. - Publicavit electionem « Curiae » generalitiae, id est, Patrum Consultorum generalium necnon Procuratoris generalis; loquitur de epistula quam Summus Pontifex Pius PP. XII die 8 maii ad Capitulum generale dirigere dignatus est, ac ideam ibi propositam de « accommodatione » Instituti ad tempora moderna commentatur (16).

3. « *Adhuc me debitorem* », 8 sept. 1947. - Gratias agit pro bonis votis sibi undique oblatis occasione suae electionis in Superiorem generalem; agit de mutatione patroni sui s. Leonardi, et denique longiorem collationem familiarem instituit de vita interiori, de vita communi, et de defectu fratrum laicorum his ultimis annis magis observato, indicans apta media subveniendi (17).

4. « *Universis vobis* », 5 febr. 1949. - De votis occasione festorum nataliciorum oblatis gratias reddit; loquitur de celebratione anniversarii bis centeni ab approbatione pontificia nostrarum Regularum (1749-1949), quam modo potius intimo peractam voluit (18).

« *Brevi Apostolico* », 31 maii 1950. - Litterae circulares non numeratae, quibus notitiam dat et textum communicat Brevis Apostolici diei 26

apr., quo s. Alfonsus patronus constituitur confessariorum et moralistarum, adiungens apta monita et exhortationes (19).

5. « *Quod in festum* », 20 dec. 1952. - Post gratias actas pro votis occasione festi s. Leonardi oblatis, exponit, cur non saepius litteras circulares expeditat; adiungit notitias varias, ut de studiis factis circa veram effigiem s. Alfonsi, de laboribus expletis ad conservationem sacrarum eiusdem sancti exuviarum, de itineribus mox suscipiendis, de modo et forma missionum nostrarum praedicandarum (20).

Restat etiam longior epistula directa ad moniales Ordinis Ss. Redemptoris, cum quibus Pater noster relationes sanctae amicitiae, uti decet, tenebat. Data fuit die 5 ian. 1953, in variis linguis; extractus latinus invenitur etiam in nostris Analectis (21).

B. *COMMUNICANDAE* — 1. « *Simul cum his litteris* », 29 iun. 1947. Ad superiores maiores. - Transmittit textum Constitutionum « de regimine studentatus », a Capitulo generali reformatum, cum explicationibus et notis historicis.

2. « *Commune desiderium* », 2 ian. 1948. Ad eosdem superiores. - De novo Catalogo generali, nova quoque methodo, parando (22).

3. « *Iam inde a pluribus annis* », 2 apr. 1948. Ad eosdem superiores - De paranda nova editione librorum « Manuale Novitiorum » et « Regulæ Novitiorum ».

4. « *Iam universus christianus orbis* », 30 martii 1949. Ad superiores maiores. - De missis quas singuli Congregationis sacerdotes occasione iubilaei sacerdotalis Summi Pontificis offere debeant, ac de paranda expositione artis missionariae pro anno venturo maximi iubilaei 1950. Has litterulas, nomine P. is Generalis, in itinere absentis, eiusdem vices gerens, Pl. RP. Leo Quittelier, scripserat.

5. « *Ut scitis* », 4 aug. 1949. Ad superiores maiores. - De proximis itineribus suscipiendis et de Academia alfonsiana in Urbe condenda.

6. « *A die 23 Octobris* », 9 aug. 1950. Ad superiores maiores. - Agitur de VIII Congressu Mariali Internationali, Romae proximis diebus 23 oct.-1 nov. celebrando.

7. « *Tria vobis* », 25 nov. 1950. Ad omnes domos. - Loquitur de Congressu « De Statibus perfectionis » Romae habendo; de abstinentia tempore Adventus secundum Regulam observanda; de fratribus nostris in regionibus orientalibus dira persecutione oppressis (23).

8. « *Velit Reverentia tua* », 25 ian. 1951. Ad superiores maiores. - Communicat dispositiones circa abstinentiam et iejunium ecclesiasticum post annos bellicos iterum toto rigore observandum.

9. « *Cum Provincialis nominareris* », 15 febr. 1953. Ad eosdem superiores. - Agit de præparatione futuri Capituli generalis, tria proponens

consideranda: quid hac praeparatione intendat, quid e proximo capitulo expostulandum sit, quam rationem sequi velit in hoc capitulo praeparando. Cum hoc futurum capitulum etiam de « accomodatione », his temporibus inevitabili, agere debuisse, R.mus P. Generalis certam solidamque praeparationem *remotam* incipere voluit, restrictam ad solos superiores maiores eorumque consultores et ad quosdam Patres, qui eorum fiducia gaudent. Ea qua pollebat prudentia, selecta capita, quae supradictae accommodationi magis subicienda essent, caute indicat.

10. « *Ad proventum atque incrementum* », 18 febr. 1953. Ad superiores maiores. - Expositio longior de « Cursu Romano », id est, de insti-tuendo cursu superiori in domo generalitia romana, ad melius et proprius efformandos educatores nostros, directores iuvenatum, magistros novitiorum, praefectos studentium aliosque, qui ad educandos et formandos iuvenes clericosque nostros vocati sunt.

11. « *Uti probabiliter* », 27 maii 1953. Ad omnes Congregatos. - Brevis litterula ex clinica municipali urbis Innsbruck, qua R.mus Pater de infirmitate, qua correptus est, nuntium dat, nec sine spe valetudinis recuperandae (24).

12. « *Ex epistula* », 26 iun. 1953. Ad omnes Congregatos. - Brevis communicatio a Pl. RP.e Consultore generali Benedicto D'Orazio, Superioris generalis vices gerente scripta, de morbo et de operatione P.is Buijs, feliciter, ut dicit, peracta; exprimitur quoque spes boni eventus et monentur omnes ut vehementer pro sanitate dilecti Patris Deum adprecentur (25).

Quando haec litterula Romae typis imprimebatur, in civitate Innsbruck, ad octingentis chilometribus R.mus Pater morti iam vicinus erat.

DE ITINERIBUS MAIORIBUS P.IS GENERALIS BUIJS — Cognitio directa et personalis numquam substitui potest, cum identica amplitudine et absolutione, a cognitione indirecta, per alias personas acquisita. Recte itaque Constitutiones nostrae Rectori Maiori, noviter electo, valde commendant visitationem *personaliter* peragendam totius Congregationis: « Tempore sibi bene viso Rector Maior omnes Instituti provincias et domos, aut illas saltem, quas commode valebit, ipse invisere poterit: cum ut suos noscat, tum ut a suis agnoscat, illosque praesentia sua et charitate in Domino consoletur » (Const. 791). Cognitio totius Instituti perficitur visitationibus, a Superiori generali dispositis, per alios delectos Patres, maxime si sint sui ipsius Consultores generales.

R.mus P. Buijs, vix Generalis electus, de modo magis adaptò cogitare coepit, quo sibi permitteretur totam Congregationem breviori temporis spatio generali saltem quadam visione cognoscere. Omnia moderna auxilia et instrumenta itineris computando censuit se intra spatium trium annorum tam Congregationem prima vice rapido cursu peragrare posse, sed — ut

postea ipse expertus est — non habuit rationem status salutis suae, quae impar erat laboribus extenuantibus quos iter nimis rapidum necessarie secum fert.

Fidelitatis historicae causa, liceat nobis brevem conspectum praebere maiorum itinerum defuncti P. is Generalis. Nomina locorum lingua propria referemus, ne continua repetitio eorum in lingua latina et propria incommoda evadat.

1947, 2-7 iun.: visitatio seu peregrinatio ad tumbam s. Alfonsi, et ad cullam Instituti (Pagani, Scala); alias quoque domos (Materdomini) vicinas visitavit (26).

1947, 3 iul.-7 aug.: rapidus cursus medio-europaeus, in quo praetulit visitationem domorum educationis et studiorum, et domos provinciales. Imprimis P. Buijs deduxit R. mum P. em Generalem emeritum Patricium Murray, volatu aereo, in patriam Eire, in domum Limerick; visitavit plurimos domos in Eire sitas, postea transivit in Britanniam, Neerlandiam, Belgium, Luxemburgum, Franciam, praeferens, ut iam dictum est, domos educationis et studiorum, et, in via etiam studentatum provinciae romanae (Cortona) invisens, Romam rediit (27).

1947, 11 sept.-8 oct.: visitatio provinciae austriaca, quae paulum ante Capitulum generale Superiorem provinciale morte amiserat, et post duros annos occupationis « nazistae » et belli, particulari consideratione digna apparuit. Prima domus austriaca, quam visitaverat, fuit Innsbruck, nec quisquam tunc suspicatus est, post sex annos nondum expletos eundem P. em Generalem in hac eadem civitate mortem oppeturum esse (28).

1947, 21 oct.-10 dec.: visitatio domorum in republica Cechoslovaciae sitarum. Fuit ultima magna consolatio nostrorum fratrum qui postea tam dira et iniusta perpessi sunt et adhuc patiuntur. Omnes domos, etiam in dissitis regionibus carpathicis sitas Patrum ritus orientalis, videre potuit. Reversus per Helvetiam (Bertigny, Uvrier), iuvenatum provinciae romanae (Bussolengo) quoque spectatum ivit (29).

1948, 2 apr.-8 iun.: altera visitatio medio-europaea. In urbibus München et Köln cum superioribus provincialibus consultationes habuit; post rapidum cursum per Belgium et Neerlandiam, viceprovinciam « Köbenhavn » (Danimarca, Suetia) paterne visitavit, et, post brevem stationem in Bertigny, demum Romam reversus est, habitis multis colloquiis et discussionibus de rebus regimen, missiones, studia attinentibus (30).

1948, 12 iul.-25 nov.: magnum iter per Americam meridionalem. In his extensisimis novi orbis plagis, in quibus nostri fratres, partim inde ab anno 1858, partim ab ultimis decenniis apostolatum felicem, saepe tamen laboriosum exercebant, quaestiones multae et difficiles natae sunt, ita ut P. Generalis praesentiam personalem necessariam esse iudicaverit. Post bre-

vem visitationem aliquarum domuum in Hispania et in Portugallia sitarum, R.mus Pater pertransit sequentes status Americae meridionalis: Brasil, Uruguay, Argentina, Paraguay, Chile, Bolivia, Perú; nimius vero labor sustinendus, in innumeris conferentiis, colloquiis, consiliis, in quibus Generalis ipse, saepius per horas integras, locutus est, sed imprimis cordis vexatio propter nimiam altitudinem in volationibus super altissimos montes « Andarum » salutem numquam fortē R.mi visitatoris adeo labefactarunt, ut in Lima, urbe capitali Peruana, iter suum interrumpere et non paucos dies quietis interserere debuerit. Itineris socius, Pl. RP. Consultor generalis Benedictus D'Orazio, solus Columbiā et Venezuela visitavit; deinde itinere marítimo, tangentēs New-York, ambo in Europam reversi sunt; R.mus Pater, aliquantum salute refectus, aliquot domos in Britannia sitas visitavit, et demum Romam regressus est. Liceat statim subiungere, iter susceptum et tantis sacrificiis completum, magnos deinde apportasse fructus: « reorganizationem », quam dicunt, provinciarum et viceprovinciarum, incrementum missionum indigenarum, inductionem novorum operario-rum ex aliis provinciis, studiorum maiorem perfectionem. Alia ex parte vix est negandum, hoc iter nimis operosum causam remotam evenisse prae-maturae mortis P. Generalis, qui ex eo tempore numquam salutem vere bonam et robustam resumere potuit (31).

1949, 28 mart.-11 iun.: post aliqua itinera minora, ad recuperandam salutem facta (Fiuggi, Montecatini, Fiesole), consilium medicorum et PP.um Consultorum secutus, in Neerlandiam profectus est; ibidem, sub cura medicorum, tempus quietis quod « convalescentiam » vocant, trans-
segit, ita ut viribus iterum satis refectis, mox aliud iter aggredi ausus sit (32).

1949, 4 aug.-21 sept.: hac vice R.mus Pater peragravit partes Hel-
vetiae, in domo Echternach (Luxemburgum) congressui paedagogico prae-sidebat, in Eire R.mum P.em Generalem emeritum visitavit, aliasque do-mos in Eire, Britannia et Belgio sitas adivit, semper intentus, ut cum superioribus, iuventutis moderatoribus, studiorum praefectis et professori-
bus colloqueretur (23).

Anno 1950, adhuc salute minus bona laborans, maiora itinera non suscepit.

1951, 7-27 maii: P. Generalis urbes quasdam maiores, vel loca maioris momenti visitavit, scilicet: Paris, Bruxelles, Luxembourg (ubi de erigenda Academia alfonsiana tractabat), domos studiorum in Helvetia sitas et Mi-lano; iterum, more iam noto, cum superioribus ad hoc convocatis vel cum professoribus collocutus est (34).

Interim status salutis R.mi Patris adeo melior factus videbatur, ut, quod iam diu in votis erat, magnum iter per regiones Americae septentrio-nalis aggredi statueret.

1951, 28 iun.-13 oct.: iter per Americam septentrionalem. Hoc iter singulari modo praeparatum erat; certis locis diebusque longo iam tempore antea designatis, « conferentiae » sive de regimine, sive de missionibus, sive de studiis, cum superioribus, missionariis celebrioribus, studiorum moderatoribus et professoribus indicebantur. P. Generalis, itinere atlantico in navi peracta, immensas regiones statuum confoederatorum Americae septentrionalis et Canadae longe lateque peragavit, ita ut visionem generalem status illarum provinciarum et eorum necessitatum particularium reportare potuit (35).

1952, 22 iun.-19 iul.: tertium iter medio-europaeum. Visitabantur provinciae Alsatiana, Belgica, Germaniae inferioris, Helveticā; habitae sunt solita colloquia et discussiones, cum superioribus in Beauplateau, cum professoribus speciatim in Bonn et Geistingen (de rebus ad Academiam alfon-sianam pertinentibus) (36).

1952, 15 aug.-3 oct.: iter etiam longo tempore desideratum, scilicet per Hispaniam. In urbe capitali Madrid congressus habitus est de multis rebus magni momenti cum omnibus Hispaniae superioribus; ter, in tribus locis diversis, de missionibus nostris disceptatum est; etiam domus in vicina republica Portugalliae visitatae sunt (37).

1953, 6-27 ian.: inter frigidissima hiemis tempora R.mus Pater comitante Pl. RP.e Consultore Alex. McMullan Franciam visitavit, ubi praefuit in urbe Lyon congressui missionariorum nostrorum, deinde urbem capitalem Paris et vicinam domum studiorum Dreux visitavit, more solito intentus ad colloquia et discussiones (38).

1953, 21 maii-27 iun.: ultimum iter, quod R.mum Patrem a civitate « aeterna » conduxit ad aeterna tabernacula...

Ex hac brevi descriptione peregrinationum P.is Buijs facilē eruitur, eas non certe voluptatis itinera fuisse: corporis fatigatio, mentis continua attentio, negotia et munia saepe non facilia, in colloquiis et congressibus quattuor saepe vel quinque linguis loqui, frigores caloresque sustinere, ipsa itinerum celeritas, aliaque eius generis, salutem P.is Generalis, iam ex ipsa constitutione, ut nunc scimus, vacillantem, fortiter tentaverunt; in itinere per Americam meridionalem, sicut diximus, reapse onere oppressus est. Ex altera parte R.mus Pater obligatum se esse credebat, Congregationem Congregatosque necnon tam differentes vitae laborumque condiciones personaliter cognoscere, ut ex propria, saltem generali, rerum cognitione decidere, providere, dirigere posset.

Unde autem ipse pervenire non poterat, saltem per PP. Consultores generales visitationes instituendas curavit, hac etiam ratione, ut sui intimi consiliarii regiones quarum peculiarem curam gerere deberent, propria intelligentia pernoscerent, ipsique in dirigenda familia melius auxilium ferre possent.

DE CONVENTIBUS MAIORIS MOMENTI P.E BUIJS GUBERNANTE HABITIS — Ut pluries iam innuimus, defunctus P. Generalis magni habuit varios conventus, saepius magis familiares, saepius longo tempore praeparatos, de omnibus rebus quibus nostrorum interesse potuisset.

Quo melius scopum multorum itinerum suorum adipisceretur, datis occasionibus, cum superioribus, minoribus et maioribus, aliisque PP. bus eminentioribus collocutus est, etiam collegialiter, ut de statu rerum singularum regionum informaretur, de difficultatibus maioribus disceptaret, experientias factas cum aliis mutuaret. Hi conventus imprimis naturam in-duebant informativam, instructivam, consultativam.

Saepius vero *cum superioribus, ad hoc convocatis*, de regimine, de statu domorum, de adumbrandis rebus pro futuro tempore, de intentionibus propriis, de rebus totam Congregationem spectantibus, disceptabat.

Saepius quoque adunavit non superiores tantum, sed etiam *PP. de rebus missionalibus peritos*, ut de apostolatu nostro particulari discuteretur; ex una enim parte ea quae a sana et iusta traditione commendantur, conservare decet; ex altera parte modus et forma apostolatus temporum mutationi conformari debent; nova et vetera coniungenda sunt; maturanda bona, eliminanda inutilia, probanda multa, tenenda quae experientia solida suadentur. Congressus missionariorum huius generis, vel ipse praesidebat, vel se absente, fieri incitabat.

Saepius denique cum *PP. bus qui educationi iuventutis nostrae operam dant*, sive in domibus studiorum minorum, sive in domibus studiorum maiorum, de rebus quae ad educationem quovis modo contribuunt, conventus agere amabant; tractabatur efformatio scientifica, theologica, litteraria, missionaria, ascetica, et ventilabantur modi et subsidia etiam modernissima quo melius et securius educatio completa iuvenum ad vitam et actuositatem nostram specificam obtainueretur.

In itinere ad congressum missionarium indefessum Superiorem generalem mors nondum exspectata ad quietem aeternam traduxit.

Conventus tantum maioris momenti hic notare possumus, sive P. Generalis ipse illis praesidebat, sive ipso auctore, sed eo absente tenebantur.

i. *Congressus circa apostolatum nostrum specificum*. — Initium facimus a congressu habito in collegio provinciali Sainte-Anne-de-Beaupré, diebus 17-19 sept. an. 1951, praeside ipso R.mo P.e, quia de hoc congressu edita est completa descriptio, ita ut eiusdem praeparatio, exsecutio et conclusiones ad quas perventum est, omnibus patere possint (39). Quicumque volumen 241 paginarum dense conscriptarum perlegerit, copiam uberem rerum admirabit, quae his tribus diebus magno cum iudicio ac pari cum experientia exposita est. Relatio citata, cuius usus facile evadit auxilio abundantis indicis, verum exemplar dicendum est, et optime intel-

legere permittit intentiones quas R.mus Pater, similibus congressibus celebrandis, ad exitum conducere voluit, necnon utilitatem practicam quae ex tali congressu, bene praeparato, provenire potest ac debet.

Congressus similes praecedebant, hoc eodem itinere perdurante, in statibus confoederatis Americae septentrionalis (40).

Alius congressus missionarius, quinque dierum, ille est; qui an. 1952, 24-28 iul., in collegio nostro Riedisheim (prov. Strasbourg) habitus est, et in quo duo PP. missionarii Ordinis s. Francisci, multum experti, P. Motte et P. André-Jaques, cum quadraginta PP.bus missionariis nostris de re missionali, sub variis vitae modernae aspectibus, collocuti sunt. R.mus P. Generalis una cum PP.bus Consultoribus generalibus L. Quittelier et C. Szrant Roma evenit, nec defuit saepius repetita P.is Buijs interlocutio (41).

Eodem anno 1952, occasione itineris hispanici, tribus in civitatibus, Santander, Santa Fé et Zaragoza, consessus missionarii habiti sunt, quibus ipse R.mus praefuit (42).

An. 1953, diebus 9-11 ian., alias congressus missionarius locum habuit apud urbem Lyon, cui triginta circiter PP. interfuerunt, praeside iterum P.e Generali (43).

Denique, pentecostali tempore eiusdem an. 1953, magnus congressus missionarius pro PP.bus linguae germanicae habitus fuit in collegio nostro Gars, occasione celebrationis externae primi centenarii provinciae Germaniae superioris. R.mus P. Generalis, vivum habuit desiderium huic congressui interveniendi, non solum propter discussiones missionales quae magnam actualitatē p̄ae se ferre videbantur, sed etiam ut solemnitatibus iubilaribus adasset, quorum decursu orationem solemnem in ecclesia habiturus erat. Sed, ut novimus, itinere arrepto, non in Gars, sed, ut speramus, in caelum advenit (44).

Alii congressus de rebus missiones nostras spectantibus, variis locis, habiti sunt, unius vel plurium dierum, quibus autem Superior generalis non adsistebat, quos tamen omni cura et affectu prosecutus est. Inter quos speciali mentione dignus esse videtur conventus an. 1947 (26-27 nov.) habitus in domo nostra Noordwijkherout, prov. hollandicae, et anno sequenti (24-25 nov. 1948) in domo Spaubeek, prov. neerlandicae Societatis Iesu. Id habuerunt particulare, quod communes erant cum PP.bus Societatis Iesu, qui se exercitiis spiritualibus populo tradendis dedicant, sicut et quidam sodalium nostrorum. Notum est lectoribus nostris, provinciam hollandicam plures domos possidere exercitiis praedicandis proprie destinas. In his igitur conventibus agebatur quaestio de indole genuina exercitorum et de eorum aptatione hodiernis vitae morumque conditionibus (45).

2. *De conventibus de regimine et de observantia.* — De his conventibus, qui ordinarie locum habebant in collegiis residentiae superiorum maio-

rum, convocatis etiam superioribus localibus numero maiori vel minori prout circumstantiae ferebant, vix non loquendum est, cum — ut eorum natura secum fert — magis concessus clausi fuissent, reservati iis qui gubernio praecessent.

3. *De congressibus paedagogicis.* — At habemus notitias de aliquibus congressibus de re paedagogica quam vocant, pro PP. bus educationi et formationi praepositis, de quibus tacere haud possumus. An. 1949, mense augusto, in collegio Echternach (Luxembourg, prov. Strasbourg) congressus paedagogicus celebratus est, cui intervenierunt imprimis educatores et professores domuum educationis puerorum (« iuvenatus »), cui etiam R. mus P. adsistere voluit (46).

In itinere americano septentrionali, an. 1951, in confoederatis statibus vulgo USA, duo congressus paedagogici locum habuerunt, primus diebus 24-26 iul. in collegio Esopus, pro professoribus domum studiorum altiorum (« studentatus ») linguae anglicae, alter in collegio North-East, diebus 4-7 aug., cum expositionibus quae ad pueros, iuvenes, clericos et PP. iuniores efformandos pertinebant (47).

Duo alii congressus huius generis nominandi sunt, quamquam post mortem P. is Buijs celebrati; ipse enim, adhuc inter vivos, de illis promovendis vehementer gaudebat. Romae habitus est primus, in ipsa domo generalitia, diebus 7-16 sept., plus minusve quinquaginta PP. bus ex italicis provinciis intervenientibus. Viri electi, professores scilicet Athenaei salesiani in urbe Torino, ipsi ex Societate s. Ioannis Bosco, in re paedagogica maxime periti, egregie, docte, practice, themata sibi proposita explicuerunt (48). Alter congressus, limitatus ad provinciam neapolitanam, diebus 21-23 iul. in collegio provinciali Pagani habitus est, relatoribus aliquibus PP. bus nostris, necnon Fratre Sixto, e Congregatione Scholarum Christianarum (49).

Finem imponendo huic capitulo de congressibus, qui tempore gubernii R. mi P. is Buijs, vel ipso praeside, vel ipso fautore, habiti sunt de variis argumentis, quae vitam et activitatem Congregationis respiciunt, ea intentione, ut haec ipsa vita profundius radicetur, et activitas fecundius efficeretur, hoc potissimum dicendum est, hos conventus certam quandam novitatem in nostra Congregatione constituisse, saltem quod attinet ad eorum frequentiam, eorum naturam praeter strictas normas Regulae vel Constitutionum, et eorum coniunctionem, magna saltem ex parte, cum itineribus Superioris generalis.

DE STATU CONGREGATIONIS, QUALIS FUERIT TEMPORE REGIMINIS P. IS BUIJS — Post hanc brevem relationem circa res gestas maioris momenti R. mi P. is Generalis Buijs, antequam ad descriptionem

magis particularem activitatis suae transeamus in his omnibus quae ad profundiorem fundationem nostrae vocationis pertinent, liceat nobis dare conspectum generalem quem « statisticam » vocare solent.

Quando novus Generalis regimen suscepit, provinciae numerabantur viginti et tres, viceprovinciae triginta; quando regimen in morte depositum, provinciae erant viginti septem, viceprovinciae viginti et septem; tempore sui regiminis quattuor viceprovinciae in statum provinciarum elevatae sunt, aliae septem recens erectae; addendae sunt octo « missiones » seu initia quaedam fundationum in territoriis missionum inter infideles, quae decurrentibus annis in viceprovincias et provincias excrescere sperantur. Territoria seu « circumscriptiones » quas vocant, in quae tota nostra Congregatio divisa est, a numero quinquaginta et trium ad numerum sexaginta et duo pervenerunt.

De provinciis haec pauca potius notanda apparent.

i. *Nova dispositio territorialis nostrarum Provinciarum in Francia et Helvetia.* — Antiquiores et principaliores domus harum regionum fuerunt collegium in Bischenberg (Alsatia, inceptum an. 1820) et collegium in Fribourg (Helvetia, inceptum an. 1827). Quando, an. 1841, a Sancta Sede divisio totius corporis Congregationis in singulas provincias disposita est, aliae iam domus in territoriis Franciae exsistebant, ita ut collegia et hospitia quae in Francia vel Helvetia inveniebantur, in unam provinciam « Gallico-helvetica » dictam, unita sint. Post graves vero eventus politicos, qui an. 1847-48 in Helvetia successerunt, Congregatio nostra in hac regione penitus suppressa fuit.

Domus in regionibus Alsatiae et Lotharingiae sitae, an. 1895 in viceprovinciam constitutae sunt, P.i Generali immediate subiectam. Tunc temporis nostri iterum Helvetiam ingressi fuere; collegium in Uvrier (Valais, Wallis) ut domus educationis (vulgo « iuvenatus ») pro provincia gallico-helvetica serviebat, collegium in Bertigny prope Fribourg, pro provincia Alsatiae, quae etiam, ab urbe principe Strasbourg, provincia argentoratensis vocabatur.

Anno tandem 1900 territorium totius Franciae, collegiis nostris sat conspersum, in duas divisum est provincias, qui ab urbibus, in quibus PP. Provinciales residebant, Lyon et Paris, Lugdunensis seu Parisiensis denominabantur.

Ultimo universali bello absoluto, conditiones politicae tales erant, ut nova ordinatio provinciarum in tota regione Franciae et Helvetiae opportuna videretur. Sic an. 1947 (13, 15 oct.) territorium reipublicae Franciae inter tres existentes provincias: lugdunensem, parisiensem, argentoratensem, melius et congruentius divisum est, ita scilicet, ut omnes tres provinciae satis aequam partem obtinerent, nonnullis collegiis hinc et inde commutatis (50). Hoc modo id imprimis obtentum est, ut provincia argentora-

tensis, quae inter veteres confines Alsatiae et Lotharingiae nimis stricta erat, necessarium spatium expansionis et actionis acciperet.

Secuta est deinde etiam in territorio helveticō nova et magis unitaria dispositio. Primum domus in partibus linguae germanicae sitae in viceprovinciam « Bernrain » (a. sede Viceprovincialis nominata) unitae fuerunt, quae an. 1948 (8, II iul.) P.i Generali directe subiecta fuit (51), ea intentione, ut facilius ea omnia disponi possent, quae ad formationem provinciae propriae helveticae, id est, inter fines confederationis helveticae, contribuerent. Duobus annis nondum elapsis, haec nova provincia institui potuit (an. 1951, 12 febr., 19 mart.), cuius collegia et domus per regiones linguae germanicae, gallicae et italicae distributa sunt (52).

Cum provincia lugdunensis interim novam domum educationis in territorio ipsius Franciae obtinuisse, notum collegium de Uvrier an. 1952 (19, 13 aug.) derelictum est (53). Etiam domus Saint-Nicolas-du-Port, prima quae aperta fuerat in territoriis Franciae antiquis (23 maii an. 1845), et quae propterea certa quadam celebritate gaudebat, an. 1951 derelicta est, postquam an. 1947 ad provinciam argentoratensem transierat (54).

Sic, centum triginta et tribus annis elapsis a fundatione primi collegii Bischenberg (an. 1820), tota regio rerum publicarum Franciae et Helvetiae, quantum nostris interest, ordinem ut videtur, definitivum adepta est.

2. Nova dispositio territorialis nostrarum Provinciarum in America Meridionali. — Immensa Americae meridionalis territoria, quae a centum annis non minus ac hodiernis diebus gravi sacerdotum penuria laborant, vix ac conditiones provinciarum nostrarum europaeorum id permittebant, attentionem filiorum zelantissimi Doctoris s. Alfonsi ad se attrahere incipiebant.

Hic non possumus totam historiam huius pacifica occupationis redemptoristicae contexere; ea tantum praemittimus, quae necessaria esse videntur, ut melius comprehendatur, cur, quo modo, et quando ad novissimam rerum nostrarum dispositionem in hac orbis terrarum praegrandi parte deuentum sit.

Primi nostrum qui Americam meridionalem stabiliter ingressi sunt, an. scilicet 1866, fuerunt fratres neerlandici, hac ratione inducti, quod tota colonia Guyana neerlandica, etiam Surinam dicta, tunc Praefectura apostolica, a nostris regenda, ipsis concredita fuerit. An. 1871 in Vicariatum elevata est, et recentibus temporibus alii quoque religiosi in adiutorium PP.um nostrorum vocati sunt (55).

Inter varias res publicas Americae meridionalis, tantis saepe vexatis bellis intestinis, tunc Ecuadór ea erat, quae mundum catholicum magis commovebat; vir enim vere catholicus, notus García Moréno, tamquam gubernii supremus praeses (1861-1875) omnibus nisus est viribus ut patriam suam secundum leges moresque catholicos regeret, adeo ut iras « li-

beralium » et « franco-massonum » usque ad necem sibi ab eis inflictam procuraret (1875). Hoc viro gubernante, variae religiosae familiae, impri-
mis ex natione franciana, in Ecuadór immigraverunt, opem multiplicem
spiritualem et materialem, apportantes. Inter has familias religiosas non
defuere filii s. Alfonsi. Sic an. 1870 prima collegia (Cuenca, Riobamba) in
regione ecuatoriana aperta sunt. Naturale erat, PP. nostros oculos con-
vertisse in alias res publicas « andinas », quae scilicet versus meridiem
et septentrionem super altissimos montes, « Andae » dictos, extenduntur.
Annis itaque 1876 collegia in Chile (Santiago), 1884 in Perú (Lima) et
Colombia (Buga) aperta sunt, ut principaliora nominemus. Consequens
erat, ut ex omnibus his dominibus, per longissima litora oceani pacifici Ame-
ricaen meridionalis dispersis, viceprovincia constitueretur, cui nomen impo-
situm est viceprovinciae « Pacifici »; dependebat a provincia matre, tunc
« Gallico-helvetica » denominata.

Provinciae quoque nostrae germanicae, his iisdem decenniis optime
florentes, sed mox diro « Kulturkampf » in ipsa patria graviter afflictæ,
de expansione ultra oceanum cogitare coeperunt. Multi emigrantes linguae
germanicae tunc in respublicas Argentinam et Brasiliānā pergere soliti
erant; ita factum est, ut PP. ex provincia « Germania inferiore » in Argen-
tinam (Buenos Aires, an. 1883) et Uruguay (Montevideo, an. 1889), PP.
vero ex provincia « Germania superiore » in Brasiliām profecti sint (Apa-
recida, Campinas, an. 1894), ut primo loco connationalibus opem ferrent.
Mox autem omnia opera apostolica, nostrae Congregationi propria, exer-
cere coeperunt. Sic originem habuerunt aliae duae viceprovinciae, argentina
et brasiliāna germanica.

Interim vero, id est, an. 1893, iam fratres nostri neerlandici immensas
Brasilicas plagas ingressi sunt, incipientes, an. 1894, domum Juiz de
Fóra, in iis partibus Brasiliae quae ab urbe capite Rio de Janeiro aditum
habent. Sic paucis post annis (1903) viceprovincia brasiliāna hollandica
creata est.

Nec tamen sufficiebat numerus operariorum in hoc vastissimo « con-
tinente ». Itaque PP. nostri alsatiani, initio huius saeculi, in provinciis rei
publicae Chile septentrionalibus opus apostolicum aggressi sunt (Huara,
Iquique), sed iam an. 1907 vi expulsi sunt. Tunc in immensas regiones
vicinae Boliviae emigraverunt, domosque aperierunt in La Paz et Tupiza
(an. 1910), dantes initium viceprovinciae americanæ alsatinae, ut postea
denominabatur.

Cum, an. 1900, unica provincia Franciae in duas divideretur, etiam
viceprovincia « Pacifici », dominibus aucta, in duas soluta est: territorium
Chilenum et Peruani et pars meridionalis Equatoriana formabat vice-
provinciam « Pacifici meridionalis », territorium Colombianum et septen-
trionalis pars Equatoriana viceprovinciam « Pacifici septentrionalis ».
An. 1918 viceprovincia « Pacifici meridionalis » iterum divisa est in vice-

provincias « Pac. mer. chilenam » et « Pac. mer. peruanam ». An. 1936 deinde, secundum novas normas pro denominatione viceprovincialrum stabilitas, dictae sunt: viceprovinciae « Santiago » (Chile) et « Lima » (Ecuadór). Eodem tempore viceprovincia Pac. septentrionalis nomen accepit « Buga ». An. tandem 1949 viceprovinciae « Santiago » et « Lima » immediate P.i Generali subiectae sunt (56).

Diffusio tamen et operositas filiorum s. Alfonsi in America meridionali nondum finem habuit. PP. nostri hispani, sive e Mexico et rebus publicis Americae centralis, sive e matre-patria Hispania provenientes, in vicinas regiones statuum Colombia et Venezuela transgressi sunt (an. 1925 Barquisimeto, 1926 Mérida, 1928 Carácas in Venezuela; an. 1928 Socorro, 1930 Bogotá in Colombia) et ibidem brevi tempore non pauca collegia fundare potuerunt, ita ut iam an. 1927 viceprovincia Venezuelana erecta sit, quae an. 1933 nomen Venezuelan-Colombiana accepit, quem 1936, secundum novum modum viceprovincias denominandi, in nomen « Carácas » mutavit.

Interim vero, id est ab an. 1930, PP. ex provincia « Baltimore » in regionibus meridionalibus Brasiliae novum campum actionis aperuerunt, incipientes a statu Paraná (Bras.) et procedentes usque in rem publicam Paraguay. Hae domus an. 1936 in viceprovinciam « Campogrande » unitae sunt.

Sequebantur fratres poloni, qui an. 1939 in territoriis Argentinae magis septentrionalis (Chaco) missionem indigenam formare aggressi sunt, locum Chamata tamquam sedem principalem eligentes.

An. 1942 etiam in Bolivia nostris novus campus apostolicus commissus fuit, Vicariatus apostolicus « de Reyes », tunc noviter erectus et ex fundatione nobis attributus. Postquam Patres nostri ex Provincia « Baltimore » in Brasilia meridionali zelum apostolicum feliciter explicare coeperunt, socii ex altera magna provincia « Saint Louis » deesse noluerunt; itaque an. 1943 in parte centrali immensarum regionum fluminis Rio Magdalena (Amazónas), in oppido Manaus, stationem fixerunt, quae, aliis mox adiunctis domibus, anno 1947, viceprovinciae « Manaus » nomen dedit (57).

Operariis adhuc deficientibus, ea quoque intentione, ut etiam provinciae italicae exteriores missiones excoherent, provinciae neapolitanae collegium Piura, in re publica Perú situm, quod ad viceprovinciam « Lima » pertinebat, traditum est (58), collegium vero Pilár, in re publica Paraguay collocatum et ad viceprovinciam « Campogrande » pertinens, provinciae romanae (59).

Tempore autem ultimi belli universalis duae viceprovinciae, Argentina scilicet et Brasiliana germanica (seu « Buenos Aires » et São Paulo), quarum compages ultimis decenniis optimè concreverat, et quae iam multis socios e propria patria oriundos inter suos connumeraverant, tamquam

provinciae independentes erectae sunt, nempe an. 1943 provincia « Buenos Aires », an. 1944 provincia « São Paulo ».

Consequens erat, conditionibus vix dissimilibus existentibus; etiam viceprovinciam « Rio de Janeiro » in propriam transvertere provinciam, id quod factum est an. 1951, eodem nomine retento (60). Praecesserat paulo ante (die 2 dec. 1950) nova territoriorum circumscriptio inter provinciam « São Paulo » et viceprovinciam « Rio de Janeiro » (61). Domus vero aliquae in parte magis septentrionali Brasiliae existentes, in novam viceprovinciam, adhuc sub provincia matre neerlandica remanente, conlectae sunt, quae a sede P.is Viceprovincialis nomen accepit « Garanhuns » (62).

Viceprovincia demum Venezuelan-Colombiana, dicta etiam « Carácas », anno 1950 in duas disiuncta est, quae singulis rebus publicis corresponderent, et nomen acceperunt ab urbibus capitalibus « Bogotá » et « Carácas » (63). In hac eadem regione Americae meridionalis, initio regiminis, P.is Buijs, an. 1947, ex viceprovinciis « Lima » et « Buga » nova et independens provincia efformata est, « Buga-Quito » dicta (64).

Sic totum territorium immensi « continentis » Americae meridionalis novo et meliori modo divisum est, habita ratione imprimis earum partium, ubi felices successus fratrum nostrorum vitam proprietarum provinciarum permitterent.

Ex iis quae hucusque concinne esposuimus, facile intellegitur, res nostras in Americae latinae plagis, non sine magno favore divinae Providentiae, nec sine multis sacrificiis et constanti operositate fratrum adeo maturatas esse, ut demum, versus finem regiminis R.mi P.is Murray nova et magis congrua dispositio generalis provinciarum et viceprovinciarum quasi necessarie initium caperet, quae sub regimine defuncti P.is Buijs ad certum finem conducta est; opus non facile nec simplex, propter quod R.mus Pater, ut vidimus, ipse totum « continentem » peragrare cupiebat.

Numerantur nunc, ut finiamus, quattuor provinciae, octo viceprovinciae, una missio et duae domus aliquatenus singulares, ita ut spes arrideat, annis proxime venturis alias quoque viceprovincias statum provinciarum adepturas esse. Certum est, iam nunc totum « continentem » Americanum meridionalem in familia mundiali s. Alfonsi partem valde egregiam constituere.

3. *Mutationes Provinciarum vel Viceprovinciarum singulares.* — Viceprovincia « Oakland », quae ad provinciam « Saint Louis » pertinebat, an. 1952 in provinciam propriam erecta est (65). E contra pars domorum eiusdem provinciae « Saint Louis », in statibus meridionalibus sitae, novam viceprovinciam efformare coeperunt, « New Orleans » dicta (66).

Domus quas PP. hispani in ditione Portugalliae fundare potuerunt,

an. 1953 in viceprovinciam, a provincia matre hispanica dependentem, unitae sunt, cui nomen inditum est « Lisboa » (67).

Denique viceprovincia « Yorkton », in regionibus Canadæ centralis existens, quae a provincia Belgica dependebat et a PP. bus ritus orientalis, videlicet ucrainici, excolitur, immediate Superiori generali subiecta est (68).

4. De Missionibus recens assumptis. — Non convenit de singulis domibus, tempore regiminis P. is Buijs noviter fundatis, singulatim disse-
rere. Haec pauca tamen de novis missionibus notatu digna sunt. R. mus
P. Generalis enim multum de intensificatione missionum apud indigenos
paganos cogitabat.

Cum itaque Sancta Sedes mentem suam aperuisset indicens religiosis familiis regiones iaponicas tamquam campum potissime excolendum, P. Buijs Redemptoristas illic abesse omnino noluit (69). Ita factum est, ut an. 1948 prima domus Congregationis in imperio Nippon aperta sit, et quidem a provincia « Sainte-Anne-de-Beaupré » (Canada) in civitate Kamakura, dioec. Yokohama (70). Quam secuta est an. 1951 altera domus, a provincia « Toronto » (Canada) fundata, in loco Maizurushi tunc dioec. Osaka, nunc Kyoto (71), ac demum, P. e Generali iam defuncto, tertia domus, a PP. bus provinciae Germaniae superioris accepta, in loco Kagoshima (praef. ap. eiusdem nominis) proximis mensibus aperienda (72).

Etiam in regno Thailand, vulgo Siam, nova missio incepit, quam provincia « Saint Louis » iam ante ultimum bellum mundiale curandam suscep-
perat. Sed tantum an. 1947, bellicis eventibus sedatis, opus executioni man-
dari potuit. PP. primum in urbe capitali Bangkok sistebant, usquedum,
die 7 maii 1953, administrationem Praefecture Ap. « de Udontani », ipsis
concredite, acceperunt (73).

Novissime demum notanda venit missio inter catholicos Syro-Chaldaeos seu Melchitas, vix incepta, et a provincia belgica assumpta. Haec enim provincia, ut notum est, iam inde a quinquaginta annis, apostolatum valde fructuosum exercere solet inter catholicos ritus orientalis, videlicet inter Ucrainos (etiam Rutheni dictos). Et res ita evenit: an. 1904 PP. belgae viceprovinciae « Sainte-Anne-de-Beaupré », Canada, in peregrinationibus missionalibus per vastissimas regiones Canadæ centralis, etiam catholicos Ucrainos e patria profectos invenerunt, cura animarum valde egentes. Sic unus alterve nostrorum fratrum belgicorum ad ritum ucrainum transierunt, ut his animis vere derelictis auxilium ferrent. Naturale erat, hos primos PP. nostros « orientales » (omnes originis belgicae!) oculos vertisse in pa-
triam horum peregre profectorum, ita ut anno ante primam mundialem con-
flagrationem (1913) viceprovincia ritus orientalis nasceretur, ab urbe capi-
tali Galiciae austriacæ, ubi sedis Viceprovincialis erat, « Lwow » (Lemberg,
latine Leopolis) denominata. Domus vero in America septentrionali sitae
nunc propriam viceprovinciam « Yorkton » efformant; viceprovincia au-

tem « patria », quae optime floruit et iam maxima parte ab indigenis composita erat, atroci persecutione bolscevica practice deleta est. Provincia belgica, ea qua pollet magnanimitate et amore versus fratres orientales, novam missionem orientalem suscipere voluit. Vivente adhuc R.mo P.e Buijs, cum S. Congregatione Orientali actum est, quae, propriis sumptibus, primos missionarios his ultimis mensibus in rem republicam Libanon proficisci fecit, ut in urbe capitali Beyrouth primum linguam et ritum addiscerent (74).

5. *Conspectus « statisticus ».* — Restat ut hanc visionem expansionis vel melioris dispositionis concludamus cum sequenti compositione « statistica », qua permittitur, uno oculi ictu statum Congregationis comprehendere qualis erat initio, qualis ad finem regiminis defuncti P.is Generalis Buijs (75).

	Status die 30 apr. an. 1947	Status die 1 jan. an. 1953	Augmentum
Domus	493	542	49
Stationes	22	24 (787)	2
Patres	4347	4891	544
Studentes	1054	1163	109
Fratres laici prof.	1576	1670	94
<i>Professi omnes</i>	6995	7724	729
Novitii choristae	234	230	2
Novitii FF. laici	85	115	30
Dispersi	36	33	—
<i>Congregati universi</i>	7314	8129	815
Postulantes (laici)	123	139	16
Iuvenstiae	2908	3917	1009

Vota nuncupata a die 30 apr. 1947 usque ad diem 27 iun. 1953 (76).

$$\text{temporalia: } \left\{ \begin{array}{r} \text{choristae} \\ \text{laici} \end{array} \right. \begin{array}{r} 1206 \\ 416 \end{array} \right\} \text{proportio } 2,9 : 1$$

$$\underline{1622}$$

$$\text{perpetua: } \left\{ \begin{array}{r} \text{choristae} \\ \text{laici} \end{array} \right. \begin{array}{r} 900 \\ 180 \end{array} \right\} \text{proportio } 5 : 1$$

$$\underline{1080}$$

Defuncti a die 30 apr. 1947 usque ad diem 27 iun. 1953:

$$\left. \begin{array}{r} \text{choristae} \\ \text{laici} \end{array} \right. \begin{array}{r} 198 \\ 150 \end{array} \right\} \text{proportio } 2,65 : 1$$

$$\underline{548}$$

* * *

Post praecedentem, brevem, sed ni fallimur, sufficientem descriptionem actuositatis defuncti P.is Generalis, quae magis directe universum Institutum in tota sua vita interna et externa respicit, transitum facimus ad aeque contractam delineationem activitatis suae magis particularis, in quantum nempe vitam scientificam Congregationis non tantum in se, sed potius

ut radicem et fundamentum vitae religiosae et activitatis apostolicae, bene adaptatae ad exigentias sanae traditionis simul ac laudabilis progressus, alere et informare studuit. Propositum enim generale quod R.mus Buijs ab initio et toto regiminis tempore ante oculos habuit, erat reconciliatio et concordia inter « conservatismum » et « progressismum ». Pro sua ingenii perspicuitate rationem sibi reddidit, quod tale propositum in actum deduci nequirit sine cognitione theorica ampla accurataque temporis praeteriti et praesentis, hominum et rerum, scientiae et actionis (77).

Pauca tantum ac selecta de multis quae hic dicenda occurrerent, de-
promimus.

DE CURA CIRCA DOMOS EDUCATIONIS ET FORMATIONIS —

Vita interior fructuosa et abundans, quae in actionem externam congrue se extravertat, exsistere non potest, nisi fundata supra solidum fundamen-
tum theologicum et philosophicum, auctum opportunis cognitionibus gene-
ralibus historicis, sociologicis, aliisque huius generis. Haec omnia probe
noscens, R.mus Pater de formatione nostraræ iuventutis, sive in domibus
educationis praeparatoria, vulgo « iuvenatus », vel eo magis in domibus
altiorum studiorum, « studentatus », valde sollicitus erat. Nec minus cogi-
tabat de efformatione solida novitiorum nostrorum. Iam vidimus, itineribus
P.is Generalis occupati, quantos conventus habuerit cum PP.bus qui edu-
cationi et formationi destinati sunt. Vix non fecit peregrinationem, qua
non visitaverit unam alteramve domum iuvenatus, studentatus vel novi-
tatus, qua occasione semper colloquia cum lectoribus saltem domus visita-
iae instituit, saepe per horas integras de formatione et studiis disserens.
Quandocumque lector quidam seu professor, studiorum causa, Romam pe-
tere desiderabat, P. Buijs libenter annuere solebat.

Saepius animo volvebat cogitationem de erigendis collegiis studiorum
« interprovincialibus », ut, viribus collatis, educatio et scientifica forma-
tio iuvenum omnino in tuto collocarentur, cum nonnullae provinciae quae
penuria vel personarum vel facultatum laborant, difficulter collegia educa-
tionis sustinere possint quae omnibus postulatis modernorum temporum
plane respondeant. De domo studiorum Romae ergenda pro studiis maiorib-
us — « studentatus generalis » — quandoque saltem, secum cogitabat,
quo provinciae minus locupletes iuvenes suos efformandos, bona conscien-
tia, mittere possent.

Si regimen P.is Buijs aliquot adhuc annos perduravisset, vix dubium
est eum varia sat magna circa studia facturum fuisse, tam pro studiis mino-
ribus quam pro maioribus.

DE CENTRO STUDIORUM ROMANO — Utcumque res se habeant, centrum studiorum Romae apud domum generalem iam existens, in dies augere et perficere sategit.

1. *De bibliotheca generali.* — Primo loco bibliothecam domus generalis completere omni studio et opera curavit. Est quidem bibliotheca sat magna, operibus quae ad studium theologiae moralis, pastoralis, dogmaticae sicuti et iuris communis atque ecclesiastici pertinent, saltem antiquioris aetatis, cura imprimis RR. PP.um Douglas, Gaudé, Reuss optime instructa; sed multa alia opera recentiora, ac antiquiora, in editionibus recentioribus, adhuc desiderabantur. Defuerat ante omnia cura systematica librorum et foliorum periodicorum acquirendorum. Tali rerum statui ut obveniret, P. Generalis Romam vocavit primum RP.em C. Brill, belgicae provinciae alumnum, in disciplinis historicis et librariis bene versatum (an. 1947-1949) (78); deinde RP.em A. Sampers, provinciae hollandicae fratrem, in disciplinis archivistis et librariis optime instructum, adiuncto quoque amanuensi saeculari; ultimis vero temporibus RP.em I. Roriz e provincia « São Paulo », qui tempore studiorum ad lauream in philosophia obtinendam cursum quoque theoreticum et practicum scientiae s.d. « bibliothecomiae » apud Bibliothecam Apostolicam Vaticanam frequentavit (79). Sed quod magis praestat, magna liberalitate R.mus Pater opes necessarias concessit, ita ut novus bibliothecae praeses officio suo efficaciter satisfacere potuisset, fideliter inhaerens voluntati Superioris generalis, qui non desiit, omnia quae pro incremento, meliori conservatione, et faciliori usu bibliothecae agebantur, consiliis prosequi, auctoritate fulcire, laudibus agnoscere. Aliquae notitiae magis accuratae lectori non ingratiae erunt (80): ab initio regiminis P.is Buijs plus quam octo milia voluminum noviter acquisita sunt; librorum catalogus, litterarum ordine dispositus, ex integrō revisus et plus quam decem milibus schedis suppletus est; supplex bibliothecae usibus inseriens varie relecta est; centeni libri, insectis infesti, partim propriis adiumentis, partim ope Instituti italiani « pro pathologia libri » ab interitu erepti sunt; an. 1948 proprium spatiolum conclave accommodatum est pro comoda consultatione operum usitatorum argumenta generalia continentium, necnon foliorum periodicorum advenientium; huic conclavi, eiusdem R.mi P.is iussu, aliud amplius ac melius instructum substitutum est, sed mense decembri tantum huius an. 1953 completum et usui traditum, cum altero conclavi simili modo parato adiacenti, operibus destinatum quae fundentalia dicuntur omnibusque studiosis semper praesto esse debent (81).

2. *De Collegio maiore.* — Haec nostra bibliotheca instrumentum laboris, uti dici solet, semper magis aptum et completum fieri debebat, hac etiam ratione, quod in domo romana generali sedem habeat nostrum « Collegium maius », id est convictio PP.um iuniorum, ex variis provinciis delectorum, ut romana instituta altioris ecclesiasticae efformationis frequentent. Hoc Collegium maius desideratus P. Buijs post bellicos eventus an. 1947 non solum reviviscere fecit (82), sed etiam continue enixe fovit. Ut numerus convictorum augeri possit, novam contignationem exstruendam

curavit (83), et pro congrua et decenti rusticatione eorumdem PP.um iuniorum (sed etiam aliorum domus generalis alumnorum) magnificam villam suburbanam ad lacum Albanum acquisivit usibusque nostris aptavit (84). Nil mirum quod numerus convictorum auctus est, ita ut ultimo anno usque ad 61 pervenerit, cum iam an. 1947 numerus 32 longe superabat frequentiam ante bellum (85).

3. *De Academia alfonsiana.* — Collegium maius, ut diximus, simplex convictio est; sed R.mus P. Buijs, his ultimis annis sui regiminis, aliud novi et Congregationi nostraræ magis proprii cogitare coepit. Fundator noster s. Alfonsus, sicut erat eximius missionarius, ita necessarie erat etiam assiduus et expertissimus confessarius vel, quod intime cum his officiis coniunctum est, egregius theologiae moralis studiosus. Nec sibi soli amplissimam profundamque rei moralis cognitionem ac experientiam, qua pollebat, reservavit, sed doctissimo calamo opera maxime facienda diligentissime conscripta suis missionariis totique Ecclesiae tamquam hereditatem pretiosam reliquit. Non defuit summa horum operum laus et comprobatio: non solum Sanctus noster universalis Ecclesiae Doctor est declaratus, praeprimis ob praestantiam doctrinae suae moralis (86), sed etiam his ultimis annis, Patronus universalis renuntiatus omnium eorum, qui vel theologiae morali operam dant vel officio confessariorum addicti sunt (87).

Nostra quoque religiosa familia, propter singulare propositum, cui servire debet, et propter eximiam hereditatem quam a Patre et Auctore s. Alfonso acceperat, semper studium theologiae moralis et pastoralis magni fecit et eximiis scriptoribus harum rerum refulsit. Ita iam a longo tempore in multorum votis erat, quod Romae, apud maximum Collegium nostrum, institutum aliquod erigeretur studiis magis seriis theologiae moralis et pastoralis ac disciplinarum affinium proxime excolendis. Capitula quoque generalia de hoc desiderio vota fecerunt (88), sed tandem R.mus P. Buijs, non solum qua Superior generalis, sed etiam qua eximius theologiae moralis cultor, qualis ab omnibus agnoscitur, in re diutius deliberata in actum traducenda manus movere coepit.

De hoc instituto romano, studiis theologiae moralis excolendis destinato, R.mus Pater in suis peregrinationibus, propitiis occasionibus oblatis, libenter et diserte cum PP.bus in re competentibus collocutus est, nec omisit, epistolis datis et receptis, cum iis maxime tractare, quos professores instituti elegerat. An. demum scholastico 1951-52 ipse P. Generalis, cum solemní oratione « programmatica », institutum inauguravit, quod nomen « Academia Alfonsiana » accepit (89). In foliis nostris, *Analecta* intitulatis, de rebus hanc academiam spectantibus, pluries dictum est (90). Hic magis convenit mentionem facere de intentionibus R.mi P.is Buijs circa institutum ipsum: mente enim conceperat theogiam moralem, vel, si mavis, disciplinam moralem in academia tractandam sensu et ambitu quam

largo et completo; comprehensas itaque voluit (quando institutum perfectum absolutumque fuisse) omnes disciplinas, directe vel indirecte cum re morali seu ethica connexas vel, ut dici solet, disciplinas fundamentales et auxiliares seu supplentes: ethicam prae- et praeter-christianam, theologiae moralem catholicam (theoricam, practicam, pastoralem; asceticam et mysticam; historiam theologiae moralis generalem et specialem; moralem « socialem » seu sociologiam), paedagogicam, catecheticam et sic porro.

Naturale erat, vastissimum hoc propositum nec primo nec uno anno perfici posse. Academia alfonsiana, aliqualiter initiata an. 1949-50, ideo primis duobus annis scholasticis regularibus (1951-52, 1952-53) per modum experimenti, ut ita dicamus, gerebatur; delectus professorum non primo ictu fieri potuit, nec materia tractanda illico completa et ex omni parte absoluta esse potuit. Sed experientiae his annis collectae, sive ex parte docentium, sive ex parte audientium, pretiosae erunt pro continuatione et perfectione huius instituti, cui P. Generalis tantum dedicaverat affectum. Propter necessitates Capituli generalis, initio an. 1954 celebrandi, aliasque rationes nec opinate exortas, Academia alfonsiana an. scholastico 1953-54 remitti debuit.

4. *De « Cursu romano »* — Sed praeter hanc academiam R.mus Pater aliud quoque in animo habuit propositum, longo tempore excogitatum et colloquiis, discussionibus, et consiliis undique collatis ad certam maturitatem conductum: id quod « Cursum romanum » vocare voluit (91). Eius mens haec erat: instituendi Romae (vel etiam in suburbana villa) cursum aliquos menses duraturum (4-6), a paucis optime selectis PP.bus dirigendum, qui ex parte etiam de professoribus Academiae alfonsianae desumendi essent. Hic cursus duplcem finem habuisset: procurare scilicet PP.bus, qui educationi et formationi, imprimis spirituali, nostrae iuventutis praefici debuissent, aequalem, solidam, vero Instituti spiritui conformem præparationem, ita ut Superior generalis de futuris a se eligendis PP.bus, novitiorum magistris, studentium praefectis vel iuvenatum directoribus, certus esse potuisset, eos in tota Congregatione alumnos ipsis concreditos secundum authenticam Instituti indolem spiritualem efformatuos esse.

In altera eiusdem cursus sectione, alii iuniores Patres, ex diversis provinciis Romam vocandi, instituerentur, cum cura particulari, de re missionalia, sensu ampliore, id est, omnibus auxiliis et adiutoriis, quae modernae experientiae suppeditare et necessitates postulare possent. Fuisse haec altera sectio quasi institutum proprium missionibus nostris ratione moderna et traditionali aequi iuncta excolendis. Hoc modo R.mus Pater in actum deducere voluit, quae iam diu in mente volvebat de ulteriore efformatione iuniorum PP.um in ordine ad apostolatum post studia theoria peracta (92).

Hic locus est, ut nobis videtur, adiungendi historiunculam, qua mens et cogitatio R.mi P.is Buijs in his rebus clarius intellegitur. Cum inter apos-

tolicos nostros labores, praeter missiones, etiam exercitia spiritualia praedicanda comprehendantur, P. Generalis « manuale » quoddam habere vehementer desiderabat, quo PP., qui Cursum romanum frequentassent, de spiritu genuino exercitiorum iuxta mentem s. Ignatii de Loiola edocerentur. Noverat optime aureum librum a populari suo, Servo Dei P.e Ioanni Philippo Roothaan (1785-1853), Societatis Iesu Praeposito generali editum, scilicet versionem « vulgatam » Exercitiorum s. Ignatii, cum interpretatione latina et pretiosis adnotationibus ab eodem Servo Dei confectis. Hic vero libellus amplius vix mercatu inveniri potuit. De hac re R.mus noster Pater cum P.e Praeposito generali, qui nunc Societatem regit, R.mo P.e Ioanne B. Janssens, amabiliter conquestus est; qui hac nostri P.is Generalis querela permotus, novam commodissimam editionem libelli P.is Roothaan publicandam curavit, quam — proh dolor — non P.i Buijs, e vivis iam sublato, sed eiusdem P.i Vicario, adiuncta epistula praesentavit (vide appendicem n. 1) (93).

Alia quoque exstant clara indicia, quanti fecerit R.mus Pater exercitia ignatiana. Romae an. 1951, favente item R.mo Praeposito generali Societatis Iesu, unus ex PP.bus Assistantibus generalibus, R.mus P. Iosephus Bolland, in domo nostra generali seriem colloquiorum tenuit, quibus exercitiorum s. Ignatii dispositionem internam psychologicam optime illustravit, P.e Buijs semper praesente et saepius in discussione interveniente (94). Deficiente tunc temporis textu idoneo, ipse constructionem essentialiem exercitiorum secundum textum authenticum notavit et multiplicari fecit in commodum auditorum (24 pp. in fol.).

Adhortatus est P.em Franciscum Naus e nostra provincia neerlandica, ut opusculum pararet quo describeretur quomodo exercitia spiritualia s. Ignatii postea a Sanctis vel aliis viris in re spirituali celebribus aestimarentur et aliis traderentur (95).

QUOMODO DEFUNCTUS P. GENERALIS CULTUM ET SPIRITUM S. ALFONSI FOVERIT — Discursu quem fecimus de Academia alfoniana et de meditato Cursu romano, seu de institutionibus quae praeprimis secundum mentem s. Alfonsi procedere et agere debuissent, conducimur nunc ad aliqua dicenda de his quae defunctus Superior generalis operatus est ad cultum et venerationem s. Alfonsi fovendum. Nonne erat filius magni huius Patris, immo insuper eiusdem successor et vicarius? Non loquimur de ea veneratione, quam omnes Superiores generales versus s. Fundatorem semper p[re]se ferebant, in epistolis et allocutionibus familiaribus, in visitationibus sepulchri et aliorum locorum originis nostri, res quas etiam noster Defunctus facere amabat.

I. *De exuviiis et effigie s. Alfonsi.* — Imprimis tacere non possumus de particulari cura quam R.mus P. Buijs manifestavit, cum novam aptiorem dignioremque dispositionem exuviarum s. Alfonsi ac renovationem al-

taris sub quo corpus iacet, ordinaverit. De difficillimis ac accuratissimis operationibus quibus sacrae exuviae a minis consumptionis completae ereptae sunt, exspectamus doctam et diligentem relationem, a RP.e D. Capone, cui P. Generalis executionem demandaverat, compositam (96). Idem RP. Capone, adhortante et laudante P.e Generali, amplas investigationes conduxit ad reconstruendum verum vultum Patris ac Fundatoris nostri s. Alfonsi, congerendo numerum non exspectatum effigierum contemporanearum quarum ope imago vultus s. Alfonsi, iunioris et senescentis aetatis, ad rei veritatem cognosci potest (97).

2. *De statua B. Mariae V. « ai Monti » et de primitiva domo Scalensi seu « Casa Anastasio ».* — Omnes recordantur, s. Alfonsum, dum an. 1730 inter montes Scalenses (Scala) sese recepisset, prope sanctuarium quoddam B.M.V., « S. Maria di Monte » nominatum, dimorasse, in quo simulacrum ligneum eiusdem B. Mariae V. pie recolebatur. Illic de religiosa familia nostra condenda cogitare coepit, et ex hoc dictum sanctuarium cum incunabulis nostri Instituti intime est connexum. Cum vero istud oratorium in montibus imperviis, et ab hominum habitationibus valde remotum consistret, temporibus decurrentibus factum est, ut ruinosum evenerit et etiam statua B. M. V. consumptioni plane exponeretur. Ideo sub finem saeculi XVIII in ecclesiam cathedralem Scalensem transportata est, sed adhuc deperitioni obnoxia remansit. Occasione visitationis ex visu auditique de re certior factus, R.mus Pater adivit archiepiscopum Amalfitanum (Amalfi), qui statuam ipsi donavit sub conditione, quod in oratorio domus nostrae Scalensis venerationi exponeretur. P. Buijs illico venerandum simulacrum Romam venire fecit, illudque in officina restorationis Civitatis Vaticanae reparandum curavit — morte interveniente tamen refectam statuam non vidit.

Domum quoque nostram primitivam in civitate Scala, in historia nostra ut « casa Anastasio » notam, quae tantis repleta est memoriis s. Alfonsi et primorum eius sociorum, pro Instituto recuperavit. Post alios possessores his ultimis centum annis haec domus ad familiam Mansi pertinebat et quamquam desiderium illam emendi semper existebat in Congregatione, conatus omnes iterum iterumque in cassum ierunt. Quando R.mus Pater anno 1953 audivit a RP.e Capone, quod possessor actualis in votis habebat immutationem et reaedificationem completam perficiendam, ita ut memoria monumentalis nostra primitiva periclitaretur, omni cunctationi finem imponens, decidit domum tunc esse acquirendam. Executio huius decisionis post mortem P.is Buijs evenit, difficultatibus quibusdam inopinate obortis, feliciter superatis.

3. *De editione « photomechanica » Theologiae moralis.* — R.mus Pater non solum de his rebus magis materialibus libens curam gerebat, sed etiam multo magis de operibus, a nostro Patre et Ecclesiae Doctore tam

egregie conscriptis, cogitabat. Est hereditas, familiae nostrae religiosae concreta, quam continuo fructum ferre debemus. Magno opere « Theologiae moralis » s. Alfonsi, quod noster P. Ed. Gaudé magistraliter olim secundum normas editionum « criticarum » publicaverat quasi exhausto, R.mus P. censuit hanc ipsam editionem, quam studiosi adhuc pergunt desiderare, noviter prelo subiciendam esse. Post varias autem deliberationes decisum est, opus P.is Gaudé non modo ordinario, litteris compositis et prelo subiectis, sed modo nunc multum usitato et pretii mitioris, reproductionis scilicet « photomechanicae », reedendum esse. Dolendum sane est, R.mum Patrem hanc nitidissimam editionem confectam non iam vidiisse (98).

4. *De editionibus popularibus operum s. Alfonsi.* — Zelus pro divulgatione inter fideles operum s. Alfonsi, ad aedificationem et instructionem populi directe conscriptorum, a R.mo Patre apte et prudenter nutritus, in Italia et extra optimos produxit effectus. Hoc testantur editiones minores et maiores, singulorum operum vel collectionum, de quibus in *Analectis nostris* diligens adnotatio fit (vide *Bibliographiam*, quae in omni fasciculo praebetur, in qua nec umquam desunt opuscula vel opera s. Patris nostri, in diversissimas linguas conversa).

De duabus solummodo seriebus editionum popularium mentionem explicitam hic anneximus: prima ea est quam nitidam et decoram PP. nostri hispani in urbe Madrid publici iuris faciunt (99), altera his ultimis mensibus a PP.bus italis edi copta est, pretioso autographo S.S. Pii PP. XII honorata, cuius textum pro maiore apud fratres nostros cognitione inter *Noticias chronicales* transcribimus (100).

5. *De editione critica operum asceticorum.* — Ultimo loco recensemus ea, quae pro edendis, critica methodo, operibus asceticis s. Alfonsi facta sunt. Ut omnes norunt, hoc opus, in domo nostra generali ante bellum mundiali alterum incoptum, propter bellicos eventus interruptum, horante quoque Capitulo generali an. 1947 (101) iterum agi incepit. Septem volumina hucusque prodierunt, alia decem adhuc paranda essent (102). Itaque P. Generalis novam commissionem quam editioni recte parandae praeposuit (103), in qua, inter alios peritos, etiam RP. O. Gregorio sedem habet, qui de opere facto vel perficiendo competenter disseruit (104). Et haec de his rebus sufficient.

6. *De necessitudine inter « aptationem » nostrae Congregationis et spiritum genuinum s. Alfonsi.* — Sed alio quoque modo cum Patre nostro et Auctore s. Alfonso actio R.mi P.is Generalis connectitur, quae refertur ad sic dictam « accomodationem » Instituti nostri ad conditiones et necessitates quae nostra tempora exigere videntur. Ipse Summi Pontifex, epistula quam « Patribus Delegatis ad Capitulum generale » an. 1947 dare

dignatus est, novo Electo hanc viam sequendam Sua apostolica auctoritate clare indixerat: « Supremus hic vester moderator... spiritu sancti vestri Conditoris succensus, servatis religionis vestrae fundamentis, eius gubernacula ad praesentis temporis necessitates ac rationes sapienter flectat atque moderetur ». Omnibusque PP. bus Capitularibus hanc eandem regulam servandam inculcavit, ita continuans: « Illud itaque in primis sollempne vobis erit, quae a sancto Alfonso tamquam fundamenta societatis istius posita sunt, ea religiose custodire constanterque servare, illa vero, quae ad exteriorem vivendi agendum rationem attinent, utrum sint propter temporum locorumque vicissitudines aliqua ex parte demutandae, attente considerare et perpendere, ne sacrum depositum, tam longa annorum serie vobis traditum, iacturam ullam detrimentumve patiatur » (105).

Ipsa Sancta Sedes, suprema sua auctoritate, quaestionem, cuius pondus in omnibus religiosis familiis magis minusve sentitur, de necessaria scilicet accomodatione ad tempora moderna, quae tot tantasque novas et impellentes quaestiones, quasi quotidie, promunt, non solum proponere, sed etiam solutioni conducere sategit; recordamur omnes Congressum internationalem de Statibus perfectionis, an. 1950, Romae, sub auspiciis S. Congregationis religiosorum negotiis praepositae, habitum, cuius tractatus et conclusiones magnis voluminibus proponuntur (106). Nec eadem S. Congregatio, variis modis et methodis, cessat, hoc opus generalis accomodationis fovere.

R. mus igitur Pater, talibus fulcitus et roboratus auctoritatibus, pro suo quoque modulo et pro nostra religiosa familia, quae sibi facienda et praeparanda visa sunt, diligenter incepit moliri. Assiduus intererat congressibus illis quos supremi Ordinum et Congregationum moderatores, Romae residentes statutis temporibus inter se habere solebant, in quibus quaestio iustae et opportunae accomodationis thema quasi necessarium erat.

Haec aptatio vitae religiosae ac observantiae regularis, ut conformis esset sapientibus normis, a Summo Pontifice et a S. Congregatione iterato expositis, longam, patientem, diligentissimam expostulabat praeparationem, ingens studium, experientiam consummatam, regularum nostrarum totiusque Instituti profundam notionem, historicam, practicam, et stricte canonica; uno verbo: non datur homo inter nos, sive superior, sive subditus, qui unus ac solus ingentem hunc et summae responsabilitatis laborem sustinere posset. P. Buijs plene conscient de hoc rerum statu, tempestive sic agere censuit, ut PP. peritissimos rogaret, qui quaestionem seu quaestiones in proposito, studio ac consilio collato, pro solutione maturescere facerent. Sic Pl. RP.i A. van Biervliet, Consultori generali secretarii, in materia expertissimo, RP.i P. Fink, ex dissitis regionibus Argentiniae Romam accersito, necnon RP.i secretario Pr. Meerschaut (ut aliquos nominemus) munus contulit unicuique alio modo, de dicta accomodatione aliisque quaestionibus connexis vel collateralibus, apte disquirendi. Certum demum statum

informationis et praevisionis generalis adeptus, P. Generalis per *Communicandam* n. 9 « Cum Provincialis nominareris » datum die 15 febr. 1953, hanc praeparationem futurae accomodationis super fundamento magis extenso et seculo collocare studuit, invitans Superiores maiores eorumque Consultores aliosque probatos Patres, ut ad rem tanti momenti apte et opportune componendam auxilia et consilia conferre velint.

7. *De cura P. is Buijs pro fratribus laicis.* — Non esse praetermittenda, putamus, pauca verba de diligentia, qua defunctus P. Buijs condiciones vitae, externae et internae, fratrum inservientium prosecutus est, fideliter premens vestigia Patris ac Fundatoris nostri. S. Alfonsus enim institutum fratrum laicorum seu Patribus inservientium semper magni habuit ut viam sanctitatis insignem (107). Non solum in eorum pietatem et religiosam disciplinam sedulo invigilabat, sed etiam pro eorum institutione practica et generali speciale curam adhibuit (108).

Temporibus praeteritis ordinarie in nostris provinciis, saltem in Europa positis, numerus fratrum conversorum multum notabilis fuit, eorumque spiritus religiosus valde eximius. His autem ultimis decenniis etiam in nostra religiosa familia, sicut in aliis multis, numerus fratrum laicorum in non paucis provinciis valde diminutus est, adeo ut in aliquibus regionibus quaestiones haud negligendae ex hoc rerum statu ortae sint. Non defuerunt varia tentamina ad difficultates sublevandas, ut sunt exempli gratia scholae seu « iuvenatus » pro adolescentibus candidatis ad statum fratrum conversorum, commendatae ab ultimis Capitulis generalibus (109) — ita factum est, ut nomina faciamus, in provinciis hollandica (110) et Germaniae superioris (111) — vel species quaedam libellorum aut similis modi « publicitatis » qui in pluribus provinciis divulgati sunt (112).

P. Generalis Buijs non solum tentamina quibus penuria candidatorum in melius mutari deberet, approbavit et, quantum in ipso erat, fovit, sed etiam ut condiciones generales ipsorum fratrum laicorum per communem superiorum aliorumque sodalium choristarum conspirationem in melius verterentur, adlaboravit praeprimis commendans meliorem formationem religiosam, technicam et civilem simul cum elevatione Fratrum positionis socialis (113). Ut facili periculo quod fratres laici, propter minorem numerum, gravioribus obruerentur laboribus, ita ut potius servi quam viri religiosi fierent, omni studio obviaretur, sedulo invigilavit.

* * *

CUR ET QUOMODO R.MUS P. BUIJS STUDIA HISTORICA DE NOSTRO INSTITUTO PROMOVERIT — Accomodatio omnis, quae vere rationabilis est, non in aërem construitur, sed componi debet ex elementis genuinae et sanae traditionis aequa ac ex elementis probati et iusti progressus. Selectio vero et concretio elementorum, ea mensura et temperatione

facta quae salvet naturam rei accommodandae nec laedat effectum innovatio-
nis, summam exigit prudentiam et cautionem, necnon profundam rerum
praeteritarum sicut currentium cognitionem et aestimationem. Aliis verbis
non datur congrua aptatio sine respectu historiae.

R.mus P. Generalis, vita functus, quamquam non fuit historicus, ta-
men convinctus erat, bonam et opportunam accommodationem, sive maioris,
sive etiam minoris momenti, vel etiam in rebus minimis, fieri non posse
nisi praecedat solida historica inquisitio de origine et de evolutione singulo-
rum elementorum de quibus agitur. Hae considerationes generales, iustissi-
mae sine dubio, eum mox induixerunt ut specialem attentionem adverteret
studiis historicis circa nostram religiosam familiam. Origo eius, natura seu
indoles externa et spiritualis, eius labores specifici, totum saeculum in quo
nata sit et cuius signa p[re]se ferat, homines quoque qui primi eam forma-
verint et propagaverint, omnia, uno verbo, quae quocumque modo valide
contribuere possint, ut Congrégatio nostra in suo « esse et agere » plene
cognoscatur, argumenta erant, quae a studiosis peritis et competentibus
assidue et solide indagata et tractata voluit. Historiam vitae nostrae mo-
dernae magistrum esse enixe desiderabat et, ut hoc fieret, valde adlaboravit.

1. *De archivo generali.* — Archivo generali, Romae in Collegio s. Al-
fonsi collocato, praeesse voluit notum nostrum historiae studiosum ac per
multos annos archivi provincialis belgici custodem RP.em M. de Meule-
meester (114), qui hoc munus an. 1948 exercere coepit, a P.e Ioanne Gau-
tier, prov. parisiensis, adiutus (115). Cum vero dignissimus noster frater,
annis iam onustus, et laboribus consumptus, non ita ut amavera[et] muneri
satisfacere potuisset, ei substituit an. 1951 RP.em A. Sampers, iam biblioth-
cae generalis praefectum et, ut superius dictum est, rei quoque chartulariae
peritum (116). Archivi divisionem in duas sectiones ordinavit: char-
tularium historicum et archivum modernum seu administrativum, cui
RP. Pr. Meerschaut, uti secretarius, p[re]aeest. Prope magnum archivum his-
toricum conclave proprium in commodum studiosorum instructum est, re-
censque suppellectili proprio optime accommodatum; nec deest in eodem
conclavi selecta bibliotheca historica pro utili consultatione. Separatim ha-
betur sectio pro publicationibus fratrum nostrorum conservandis (107).
Munificentia P.is Generalis archivum an. 1952 etiam machinam sat com-
plexam, cuius ope documenta vel libri aliaque huiusmodi « photographice »
identidem repeti possunt, acquirere potuit, cum iis omnibus quae ad talem
reproductionis documentorum modum pertinent (118).

2. *De Congressu historico.* — Ex variis partibus ad R.mum Patrem
desiderium allatum fuit, ut Romae conventus studiosorum rerum nostrarum
historiarum convocaretur, desiderium quod ipse P. Buijs vehementer sen-

sit; optaverat enim instrui de variis et gravibus quaestionibus historicis, quae non ab omnibus nostris peritis uno eodemque modo explicari solebant, ut sunt quaedam circumstantiae fundationis, gubernii primordialis, constitutionum capitularium an. 1764 compilatarum, et similia. Itaque an. 1948, diebus 28 mart.-4 apr. Congressus historicus locum habuit, Romae, in Collegio generali, ipso R.mo Patre praeside « honorario ». Relationes prolatae, discussiones factae, « contactus » qui dicitur « personalis » inter historicos nostros ex diversis provinciis provenientibus, accurata visitatio et illustratio archivi nostri generalis, haec omnia valde proderant ad studia historica nostra bene dirigenda, et in profundum et in latum extendenda, ad demonstranda potiora proposita attingenda et ad inaugurandam maiorem utiliorumque collaborationem (119). P. Generalis inaugurali suo sermone de intentionibus et exspectationibus disseruit, quae ex hoc primo Congressu historico promanare deberent, laudans facta, indicans facienda (120).

3. *De Instituto historico.* — Immediatus fructus Congressus historici fuit initium « Instituti historici », cui RP. M. de Meulemeester praepositus est (121). Confiteri debemus, primitivam temperationem ac dispositionem internam et externam Instituti non adeo perfectam fuisse, ut facile prospere potuisset; sed ii pauci qui in Institutum admissi fuerunt, labores historicos haud sfernendos aggressi sunt vel iam compleverunt (122)..

4. *De publicationibus historicis officialibus.* — Alius fructus eiusdem Congressus historici, sed lentioris maturationis, sunt publicationes historicae officiales. De earum natura, dispositione, fine, ipse R.mus Pater in suo decreto (in capite huius fasciculi) breviter dixerat, et nos quoque alia quaedam adiunximus (supra p. 7-10). Nec longius in eadem re insistendum esse putamus. Sufficiat notare, praeter *Spicilegium historicum*, folium scilicet historicum « periodicum », cuius primus fasciculus hic fratribus aliisque studiosis offertur, studia et labores pro primis voluminibus, quae in *Bibliotheca historica* edenda venient, bene iam progressa, quaedam iam esse parata.

DE ULTIMO MORBO ET DE OBITU R.MI P.IS BUIJS

Aegro corpore inde ab prima infantia, vel forsan ab incunabulis, P.em Buijs fuisse nobis traditur; puerulus saepe cum matre conquestus est de certis doloribus qui latus dextrum corporis affligebant; sed vera natura huius incommodae valetudinis nusquam, neque a medicis « specialistis » perspecta fuit. Altera ex parte, qua gravitate et serietate indolis Leonardus noster dotatus erat, incommoda aegrae valetudinis semper aequa-

nimiter pertulit, et, dum poterat, litteris officiisque deditus, nec tempori parcuit otiumque ad quod similis valetudinis status facile inducere potest, religiose evitavit.

Nos qui cum R.mo P.e domum nostram principem inhabitavimus, bene novimus quam pleni fuissent dies eius laboribus pro regime nostraræ familie, per totum orbem dilatatae, et quam sancte coluit, quamdiu vires id permiserunt, observantiam regularem. Aggravescente interdum morbo, grave illi erat observantiam communem non adeo observare posse quam cupiebat. Romae quoque medici quos consulerat, inter quos etiam varii « specialistæ », de vera morbi natura non convenerunt, ita ut corporis curae quibus subiectus est, numquam effectum desideratum reapse produxerint.

Sed non obstante tenaci morbi persistentia, nec R.mus Pater, nec multo minus nos ceteri de rei gravitate cogitavimus. Verum est, eum aliquoties, ultimis mensibus, observasse, nec sine certa sollicitudine, irregularitates functionum digestionis et secretionis auxisse. Pridie cum ab Urbe discederet, provinciam Germaniae superioris visitaturus, uni ex suis Consultoribus generalibus dixit: « Graviter me aegrotum sentio », sed tamen tanta animi fortitudine iter paravit, ut omnes rem tamquam ordinariam considerarent. De morte sibi imminentि non assecutus erat suspicionem; item pridie itineris cum primo socio redactionis huius periodici historici colloctus, post redditum, ita aiebat, laetus primum fasciculum exspectabat; varias epistolas aliaque scribenda et expendenda secum portabat, diem redditus indixit.

Roma profectus est die 21 maii an. 1953, feria quinta ante festum Pentecostes, comitantibus PP.bus Zettl, Consultore generali, et Niemann, Analectorum altero redactore. Insequenti die publicum valetudinarium in civitate Innsbruck ingressus est, ubi die 8 iun. chirurgicam operationem subiit, qua morbus, quo tam graviter afflictus erat, cognitus est ut « pancreatitis purulenta ». Medici, saltem versus alumnos nostros, spem fingebant lentae redintegrationis virium ac salutis.

Haec dum in urbe Innsbruck aguntur, nos redactionis foliorum praesentium socii, insequentie die 9 iun. ex typographia accepimus rationem expensarum praesignificatam, et specimen faciei tituli, id quod nobis praevidentibus P.em Generalem hunc nuntium excepturum esse sincera cum delectatione, magnum gaudium intulit.

Sed morbus, nobis omnibus adhuc inscientibus, implacabiliter infirmum versus mortem portabat. Die 10 iun. P. Generalis per manus P.is Zettl, sui Consultoris, infirmorum unctionem piissime recepit. Die 18 iun. infirmorum diplomatus minister, F. Nicasius, P.is Generalis popularis, Roma

accersitus, urbem Innsbruck ingressus est. Die 24 iun. sanguinis transfusio peracta est.

Interea anxietates de morbi exitu, multo peioris quam suspicati eramus, in dies augeri coeperunt. Tamen notitiae allatae spem boni exitus non excludebant, imo, ut nobis animo finximus, aliquantulum accrescabant. Utique Pl. RP. D'Orazio, qui vices Generalis absentis gerebat, die 26 iun. brevem, sed spei plenam litterulam circularem publicavit (123).

Die sequenti, sabato, 27 iun., altera facta est sanguinis transfusio, quem autem paucis post horis mors secuta est, hora circiter octava post meridiem. De decursu morbi et de decessu R.mi P.is in appendice apponimus relationem magis particularem, scriptam a sorore religiosa, ex instituto Puellarum Caritatis s. Vincentii Depaul, quae aegroto assistebat (vide appendicem n. 2) (124).

